

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XXXVII. Quod homines dei pignus sunt.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

passiones amplius perferre non possit, in suis dilectoribus, qui ei amore fideli adhærent, dignatur supplere. Et sicut ejus passio toti profuit mundo, non solum sui temporis hominibus, sed usque in finem sæculi in eum credituris; sic diligentium se passiones et tribulationes justis cedent in meritum, reis ad veniam, defunctis ad gaudium sempiternum. Et cum anima illa, quæ sic in terris divini Cordis refrigeratio fuit, in cælum pervenerit, mox supra Cor Dei advolans, divinitate ac si oleo optimi liquoris peruncta, tota in ardore ferventissimi Cordis Dei, cum omni quod hic pro Christo sustinuit, concremabitur; et sicut thymiama fragrantissimum seu balsamum, odoris sui suavitate totum cælum respersit, quo omnes Sancti nova jucunditate et delectatione perfunduntur; et hoc est quod dicitur in psalmo: *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* (PSAL XLIV. 8.)

Anima
sicut
thymiama
cælum
delectat.

CAPUT XXXVII.

QUOD HOMINES DEI PIGNUS SUNT

AUDIENS aliquando cantari Versum illum: *Dulcem vocem audient justi*, etc. recordata est pignoris sui quod Deus sibi olim dederat, et dulci affectu Deo perinde gratias referebat. Cui Dominus: « Ego pignus tuum sum, et tu meum. » At illa dum cogitaret quomodo Dei posset esse pignus, quæ nullius meriti esset, Dominus respondit: « Omnes homines pignus meum sunt, et tenentur mihi rependere mortem meam, secundum quod Apostolus dicit: *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram.* (COLOSS.

Pignus
tuum sum,
et tu meum.

1. Cf. Part. I. c. 20. II. 19. VII. 11, item *Legatus*, Lib. v. c. 4.

III. 5.) Quilibet enim omne quod in se vitiosum est mortificet, ut ante mortem, vel saltem in morte, liber a peccato, pignus meum, quod ipse est, lætus mihi reddat. Specialiter autem spirituales homines pignus meum sunt, quos ad tam singularem et præcipuam vocavi gloriam; qui quoties voluntatem suam in aliquo sibi difficili mihi offerunt, toties pignus meum magis adornatum mihi repræsentant; sicut qui amici sui pignus penes se haberet, et quoties illud respiceret, toties aurum vel gemmas ipsi adderet speciosas. »

CAPUT XXXVIII.

DE VESTE NUPTIALI.

AUDIENS etiam in Evangelio legi: *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* (MATT. XXI. 12.) dixit ad Dominum: « Mi dilecte, quæ est vestis sine qua nullus ad tuas nuptias poterit pervenire? » Mox ostendit illi Dominus vestem purpureo, candido et aureo colore mirifice intextam, dicens: « Hæc est vestis nuptialis, facta ex candore mundi cordis, et purpura humilitatis, et auro divini amoris. Quicumque hanc vestem habere voluerit, oportet cor mundum habere, ut sponte sua nullam malam cogitationem cordi suo inhærere permittat, et quidquid videt vel audit, non ad malum, sed ad bonum dijudicet et convertat; humiliter etiam et dulci corde prælatis suis, imo omni creaturæ, se propter Deum subjiciat; Deum tota mente etiam diligat; et omnem creaturam respectu Dei vilipendat, nec aliquid sic diligat, si ipsum a Deo elongat, quin illud omnino abjiciat et fugiat. »

Cor
mundum,
humile et
amans
Deum.